

nam, sinistra globum, cui Crucis simulacrum impositum, ferentem, cum inscriptione : VICTORIA AVG.

THEOPHANIAM vxorē habuit Romanus, ex qua duos filios, Basilium, & Constantinum progenuit, filiāque Theodoram. Ac post mortem Romani à Nicephoro palatio expulsa, in Petrium deducta est. Sed post paucos dies rex sibi cohabitare fecit : & cum nuptias celebraturus esset, à Patriarcha à limine templi arcebatur, quòd ferebatur compater fuisse in lauacro Christiano liberorum Theophania. Verum postea admissus est. Huius fraude deinde, auxiliòque Ioannis Zimiscis, Nicephorus occisus est. Atque hæc Theophania fuit vxor Romani & Nicephori.



NICEPHORVS, cognomento PHOCAS, Phocæ Nicephori nepos, nobilissimus & æqui obseruantissimus, in Romano Imperio successit. In Sicilia cōtra Sarracenos res egregias gessit. Per Duces autem ibidem res infelicitè gesta. In eisdem Asiam vastantes exercitum duxit, ac Ciliciam magnāque Asiæ partem lætis auspiciis recepit. Mox Antiochiam noctu ingressus pulsis Sarracenis, Imperio subiecit. Sed quàm bellica re fortunatus, tam domi infelix, dum prætextu bellorum, quæ continuò agebat, nouis tributis & exactionibus subditos & ecclesias expilat, Numismata corrumpit, & pondus consuetum imminuit. Ex quo in odium ciuium incurrens, facilè à Ioanne Zimisce intra cubile interfectus est, cum rerum potitus esset annos v i. menses totidem.

Numisma hoc ex altero latere habet imaginem Crucis, quatuor insistentem gradibus, cum inscriptione : VICTORIA AVG.

THEOPHANIA Nicephori Imperatoris vxor fuit.